

OLEA  
PER  
EXPRESSIONEM.

OLEUM AMYGDALINUM.

**A MYGDALE**, vel dulces vel amaræ, recentes in mortario lapideo terantur; deinde prelo, sed non calefacto, exprimatur oleum.

E ODEM modo exprimendum est oleum, ex seminibus Lini, & Sinapis.

OLEA  
PER  
DISTILLATIONEM.

OLEA ESSENTIALIA.

- Ex RADICE Sassafras;
- Ex LIGNO Rhodio;
- Ex FOLIIS Absinthii,
- Majoranæ,
- Menthæ piperitidis,
- vulgaris,
- Origani,
- Pulegii,
- Rorismarini,
- Rutæ,
- Sabinæ;
- Ex FLORIBUS Chamæmeli,
- Lavendulæ;
- AMIO

Ex

*Ex SEMINIBUS* Anethi,  
Anisi,  
Carvi,  
Cymini;

*Ex BACCIS* Juniperi;

*Ex AROMATIBUS,*

Caryophyllis aromaticis,  
Nuce moschata, & aliis.

Hæc olea eliciuntur distillatione ex alembico cum vase frigidario satis ampio. Ad præcavendum autem empyreuma, materie addenda est aqua, in qua etiam maceranda est ante distillationem. Oleum una cum aqua egreditur, & vel innatat, vel fundum petit, prout levius vel ponderosius est.

### *OLEUM BUXI.*

Buxi fragmenta in retorta igne arenæ gradatim aucto distilla: cum spiritu acido prodibit oleum infundibulo a spiritu separandum.

### *OLEUM LATERITIUM.*

LATERES candefactos oleo olivarum immerge, donec omne oleum imbibent; tum exemptos confringe, ut in retortam immittantur; & igne arenæ gradatim aucto, prodibit oleum cum spiritu, qui separandus est.

### *OLEUM PETROLEI BARBADENSIS.*

PETROLEUM Barbadense distilletur igne arenæ, & oleum cum spiritu ascendet.

### *OLEUM TEREBINTHINÆ.*

TEREBINTHINA cum aqua distilletur ex vesica cuprea, ut olea vegetabilium essentialia.

Post

32 OLEA PER DISTILLAT.

Post distillationem remanet in vesica Resina flava.

Hoc oleum saepe, quamvis improprie, Spiritus terebinthinæ vocatur.

OLEUM TEREBINTHINÆ ÆTHEREUM,  
ET BALSAMUM.

OLEUM terebinthinæ distilletur ex retorta lenissimo igne, donec, quod restat, balsami crassitudinem acquisiverit.

BALSAMUM terebinthinæ etiam distillari potest ex resina flava, unde, post oleum tenuius, quod separatim auferri debet, prodibit balsamum crassum, remanente in fundo retortæ Resine nigra vel Colophonia.

OLEUM COPAIVÆ COMPOSITUM.

R. Balsami copaivæ p. libras duas,  
Gummi guaiaci p. uncias quatuor.

DISTILLATIONE ex retorta eliciatur m. libra una.

SALES, ET SALINA.

NITRUM PURIFICATUM.

NITRUM in aqua coquatur, liquor per chartam coletur, deinde post idoneam exhalationem seponatur in loco frigido, ut nitrum in crystallos concrescat.

EODEM modo purificatur Sal ammoniacus.

ALUMEN USTUM.

ALUMEN in vase fistili vel ferreo calcinetur, quamdiu effervescit ac tumet.